

De Loco totius & partium 601

quatenus constat ex capite, thorace, ventre.

8. Totum integrale vel simile est, cuius scilicet partes ejusdem rationis sunt, ut aqua, aurum, vel dissimilare, cuius partes sunt diversae naturae, e. g. corpus hominis, quatenus constat ex carne, cute, ossibus etc.

9. Totum essenziale est, cuius altera pars se habet ut potentia, altera ut actus, e. g. tale totum est homo et quodlibet corpus naturale, quatenus constat ex materia & forma.

10. Totum essenziale aliud est physicum, quod constat ex materia & forma, e. g. corpus; aliud metaphysicum, quod constat genere & differentia, e. g. species.

11. Totum universale est genus respectu specierum suarum, & species respectu individuorum, e. g. animal totum universale est respectu hominis & bruti; & homo respectu Pauli, Johannis, Alexandri, aliorumque, quae sub se continet, individuum.

12. Addunt quidam totum potestativum, quod plures habet potentias,

P p s per